

16486.  
DE MENSTRUATIONE  
DOLORIFICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI  
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS FIANDT

POSTAMPIENSIS.

BIBLIOTECA  
ACADEMICA  
DORPATENSIS

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXVII.

Imprimatur,  
ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit  
haec dissertatio, antequam distribuatur, septem exem-  
plaria ei Collegio, cui censura librorum mandata est,  
mittantur.

Dorpati Livonbr. d. xxiv. Mens. Maji MDCCCXXVII.

Dr. J. C. M o i s e r,  
Decanus.

VIRO ORNATISSIMO

CAROLO MEBES,

MEDICINAE DOCTORI ET MEDICO  
RIGAE PRACTICO,

D 17 2-11

COGNATO SUO CARISSIMO

HOC PRIMUM LITERARUM SPECIMEN

AMORIS ERGA EUM AETERNI

GRATIAEQUE AD CINERES USQUE EI HABEN-  
DAE SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

*Lector benevole!*

**N**e multum expectes a discipulo quaeso! Nam is plerumque nihil aliud perficere potest quam quae doctrinarum magistri decantaverint, modulis mutatis verbisque aliquot ipsius adjectis, identidem repetere. Quod tum praesertim factum erit, cum rem quamcunque adierit tractandam quae minime hucusque satis exculta sit terminisque maxime prolatis gaudeat. Temporis insuper brevitate festinare me iubente momentisque aliis ut quam paucissimis rem absolvam admonentibus, opusculum minore nimirum splendore indutum in medium prodeat oportet. Abest autem a me gloriae nimia cupido, et Lectores (scilicet si quos habiturus sim) aliquid utile prioribus denuo additum esse dummodo existiment, maxima equi-

dem afficiat voluptate. Non prorsus incassum enim operam pagellis hisce navavi conscribendis. Ceterum persuasissimum habeas, Lector benigne, quam definitio morbi mea sit arcta et manca, ipsum me optime scire; sed accidit mihi etiam, quod idem aliis compluribus, ut nullam omnino reperirem, quae quod optarim brevi significatione exprimeret. Quapropter in ea proponenda hoc potissimum symptomate me continebam, quod morbum perpetuo comitatur nomenque ei indidit.

---

### Morbi definitio.

**M**enstruationem dolorificam, dysmenorrhoeam id menstruationis vitium nominamus, ubi conjuncta est menstruatio cum sensu quodam dolorifico.

Cui et affectiones epilepticas hystericasque, amblyopiam, dysoeciam et alia complura adnumerare placuit. Verum, ne morbum hunc nostrum confundamus, has affectiones accurate discerni oportet. Si sensum dolorificum aut sequuntur, aut comitantur; sequelae nimirum et comites ejusdem aestimandae. Sin vero solae prodeunt tempore menstruationis nec cum sensu dolorifico consociatae sunt, abest sine dubio menstruatio dolorifica. Hi casus igitur huc referri non possunt, secuti etiam illi, quibus dolores quidem adsunt nec tamen solitum menstruationis molestiarum gradum transgrediuntur, nam alias menstruatio fere quaelibet pro dolorifica haberi possit.

Dolores non solum variis vitae periodis adparent, sed etiam aut longius aut brevius, me-

struatione una eademque, perdurant, cui quidem et phaenomena aliqua ex parte sese accommodant atque permutantur. Sequentem itaque divisionem statuendam esse censemus.

### I. Secundum vitae periodum.

Dolores et molestiae aliae sese ostendunt:

a) aut in periodo, qua functio menstruationis evoluitur nec nisi vel primo vel secundo ejus adventu concitantur vel etiam semestri longius perseverantes evanescent,

b) aut primo menstruationis initio adsunt ac, nisi arti medicanti forsitan contigerit ut causas eorum removeret, tam diu perstant donec, periodo superveniente decrepitudinis, functio menstruationis omnino extinguitur,

c) aut individua, menstruatione incipiente plurimos annos ab omni menstruationis molestia erant libera, et postea demum, causis variis intercedentibus, status quidam morborum evolvebantur, qui causa menstruationis dolorificae existunt,

d) aut dolores non semper sed modo passim sentiuntur et causis minutis per menstruationem vim exercentibus procreantur, sicuti fere fit in constitutionibus tenellis et sensibilibus, quae a levioribus etiam momentis mirum in modum excitari solent.

### II. Secundum periodum menstruationis cujusvis adparentis.

a) Dolores tum periodo prodromorum in conspectum veniunt ac fluxu menstruo incipiente

abeunt, (cujus periodi duramentum diversum), tum non nisi aliquot horae aut sexagesimas, aut horas ipsas aut dies permanent. Quod proximum in menstruationis adventu primo accidere solet, ubi haec periodus ad dies octo vel quatuordecim usque perducitur, priusquam fluxus supervenit. Quin immo sola et unica menstruationis inchoantis indicia sunt, et sensim sensimque, menstruatione etiam non adparente, evanescent.

b) Aut molestiae, simulac menstruatio profuit, non remittuntur sed ea durante perstant.

c) Aut etiam ne tum quidem aegrotam vexare desinunt, sed aliquamdiu finitam post menstruationem tenent, et sensim mitigantur.

Casus, quibus per totum temporis spatium duabus periodis menstruis interpositum sensus dolorifici et aliae molestiae in genitalibus perseverant, huc non pertinent, cum ipsa menstruatione enim non cohaerent, sed ab aliis conditionibus harum partium morborum progignuntur, quae quidem saepissime menstruationis dolorificae ceu momentum causale incedunt.

Cum molestiis hisce et alia plerumque menstruationis vitia consociantur, eaque non solum quoad quantitatem sed etiam qualitatem sanguinis ipsius per menstruationem profusi.

Pro quantitate menstruatō interdum existit normalis, qui casus inter faustissimos numerandus; saepissime menstruatō parca interest, quae in menstruationem majoris momenti suppressam transit; quae non solum occurrere solet in menstruationis primo initio, sicuti jam supra monstravimus, sed non raro etiam postea locum habere solet. Saepenumero contrarium accidit,

scilicet menstruatio adest nimia cum dolorifica conjuncta.

Quoad sanguinis qualitatem, plerumque a norma solita discrepat maxime. Color tum justus, tum pallidus, fuscus, quin etiam niger et lividus. Consistentia partim normalis, partim aquosa, mucosa, ichorosa; aut difficillime concrevit aut admodum conspissatus, frustis quibusdam coagulatis, pure etc. intermixtus; vel omnino odore caret, vel foetidissimus; temperies ejus nonnunquam diminuta.

Quamquam neque aut quantitatis aut qualitatis vitium, neque sensus dolorifici inter duas periodos menstruas perdurantes menstruationi dolorificae proprie adscribi possunt, attamen neutiquam negligenda sunt, quoniam creberrime non nisi per ea in rectam causae dysmenorrhoeae primitivae cognitionem ejusque sanationem ducimur.

Quanto magis haec phaenomena morbi in aegrotantium ipsarum sensus cadunt, ab iisque cum medico communicantur, eo magis hujus animum in se advertere debent, consiliumque mox ei subjiunt explorationis obstetriciae instituentiae, qua sola modo nobis datum est ut plurimum casibus diagnosin firmare et emendare possimus.

Quod attinet ad molestias, quae signa tantquam dysmenorrhoeae ipsius in lucem prodeunt, singularum tantum propriae putandae et maxime diversae, immo vero quae in uno eodemque individuo fluxibus mensuruis variis varias sese exhibent.

Prout aegrotata vel robusta vel pléthorica existit et activitate vasorum praevaletante praedita, symptomata huic potissimum systemati pertinent,

dum apud individua tenera, gracilia et imbecilliora, quorum systema nervorum laborat sensibilitate morbosa, phaenomena ibi etiam graviora sunt. Saepissime utriusque systematis symptomata altera cum alteris conjuncta. Phaenomena porro diversa pro genere incommodi in genitalibus ipsis; immovero periodi fluxus menstrui variae sicuti fluxus ipsius conditio vim maximam in illam diversitatem exerunt; quoniam, menstruatione profundi coepta, molestiae, ut non prorsus recedant, plerumque tamen pacantur minusque vehementes fiunt.

Molestiae partim aut in genitalibus ipsis aut in partibus adjacentibus sentiuntur, partim in organismo cetero; ibique tum sequela sensibilitatis morbosae tempore menstruo in universum, tum affectio sympathica a systemate uteri morbosae elicitae putandae. Ut phaenomena haec proxima nobis explicemus, consensus singularis et qui inter genitalia et inter organa abdominis, cavumque cerebri et pectoris locum habet, ratio maxima habenda est. Ex hoc solo enim saepenumero phaenomena illa multiplicia, quae dysmenorrhoeae intersunt exploranda.

Aliquot ante diebus quam menstruatio emanare incipit, doloribus capitis, hemicrania, clavoque hoc malum apud nonnullas indicatur, quod praesertim in feminis hystericis accidere solet. Menstruatione propius instante, quae systematis uterini partiumque vicinarum sunt, potissimum phaenomena in conspectum veniunt, ac mox organismus totus simul patitur.

Dolores vehementes exoriuntur in regione dorsali et sacrali, qui subito per pelvim vagantur

aut usque ad extremitates inferiores descendunt; apud nonnullas vel dolor vel spasmus genitalium exteriorum subveniunt, ex hoc loco ad uterum usque assurgentes. Item colica menstrualis una cum doloribus trahentibus, tendentibus et constringentibus in abdomine, iique praecipue in regione uteri aut ovariorum, cum sensu quodam urgente conjuncti ad genitalia. Abdomen eodem tempore tum durius et amplius, tum spasmodice contractum. Uterus non minus, si attigeris crebro tumidus et dolens. Status etiam adeo febrilis oboritur cum affectionibus inflammatoriis consociatus. Per consensum molestiae spasmodicae gi-gnuntur maxime dolorosae in vesica, sicuti stranguria, ischuria doloresque usque ad renes. Ventrículo simul correpto (quod saepissime evenit) cardialgia exoritur quoad gradum multimoda simul cum vomitu spasmodico immo etiam cruento; organon vicinum, scilicet hepar mox una laborat, ex quo molestiae spasmodicae in hypochondriis aut secretio fellis adaucta cum incommodis eam comitantibus procreantur. Cerebro praecipue affecto, dolores capitis vehementissimi, hemiplegia, clavus hystericus et congestiones ad caput aegrotam excruciant, interdum et amblyopia, dysoecia affectionesque apoplecticae et asphycticae sequuntur. Si organa pectoris laborant, exoriuntur in iis contractiones spasmodicae, dyspnoea, angor vehemens, inquietudo, spasmique sequelae, videlicet turbationes in sanguinis circuitu. Saepenumero mammae intumescunt, sunt sensibiles et dolorificae atque nonnunquam humorem serosum emittunt. Praeterea dolores vehementissimos in cervice adparere deprehendi-

mus, in longitudinem totius dorsi deorsum patentes et convulsiones universales; phaenomena morbosa ad affectiones adeo vere hystericas et epilepticas augescunt. Prodeunt istiusmodi affectiones, quae sicuti Tissot (T. I. f. 92) sese exprimit, „paraissent mettre les malades aux portes de la mort.“

Incommoda quae cum genitalium et organismi ceteri detrimento menstruationem dolorificam sequuntur, pro statu, quo morbus nititur, diverso existunt diversa. Dolores soli et per se debilitant totum organismum turbantque systema nervorum, ex quo morborum formae variae originem capere possunt, quin immo apud individua ad hysteriam propensiora dysmenorrhoea per se et haec ipsa elicitur.

## A e t i o l o g i a

### Causa proxima.

Morbi causa proxima, quoniam statu primitivo tam vario determinatur, una eademque esse omnino nequit. Hoc tamen certum et exploratum est, systema nervorum primas in morbo nostro agere partes. Mali sedes primitivum tum systema nervorum est, (quod idem in menstruationibus diversis diversa aliae morbo sunt fundamento, tum conditiones aliae morbo sunt fundamento, per quas systema nervorum affectum impulsus in organismum noxios ulterius propagat, qui ceu

res sentiri ingratae ad mentem nostram et conscientiam perveniunt; tum etiam, nervis irritatis, menstruatio cum inceperit, morbi formae multimodae aliae provocantur. Attamen non omnia morbi phaenomena e systemate hoc affecto enucleare possumus.

Status morborum, qui inter causas sunt menstruationis dolorificae, tam existunt multiplices, ut nimis longum sit omnes enumerare. Satis erit, qui imprimis hunc morbum producant, eos proponere. Ceterum nonnullos ex his neutiquam semper morbum nostrum proferre censet, sed incommoda certa alia, quae a causis pendeant aut in systemate ipso uterino latentibus aut in cetero organismo aut in rebus externis originem habentibus.

Morbi causam exhibeo:

I. *Plethoram universalem.* Manifestatur haec praeterquam signis quae in summa designant statum plethoricum etiam per symptomata sequentia: priusquam sanguis menstruus effluit, sanguinis ad genitalia et partes vicinas copiosissime profusi vehementi impetu dolores in regione sacrali, et extremitatum gravitas oboriuntur. Aegroti in genitalibus experitur sensum quendam caloris adhaerentis, item nismus, tensionis et punctiois. Regio hypogastrica tumida, calida, ac manibus attractantibus uterus perspicue attingendus, qui, sanguine in vasis ejus congesto, etiam sese exhibet tumidum. Vagina et pudenda turgescunt et fiunt calida. Saepissime et stranguria, nstio in mingendo etiam adeo ischuria adest. Mammae intumescunt, dolent humoremque serosum effundunt. Quibus phaenomenis accedit status febrilis cum pulsu ac-

celerato, pleno et duro. Conditio fluxus sanguinei phaenomenaque ex ea profecta maxime diversa. Systemate vasorum vegeto et energico, parietibusque, sicuti fere fit apud individua robusta, firmis, sanguini in unum petenti parum tantum hi cedent. Quo fit ut vasa et nervi uteri magis in dies concitentur, confluxusque sanguinis adaugeatur. Ex eodem, crescentibus phaenomenis omnibus, nimirum facillime evolvitur status inflammatorius in utero, tum vasa semper fere spasmodice occluduntur. Quocirca aut fluxus sanguinis omnino non perficitur, aut menstruatio existit parca. Quo minus vero corpus a statu suo plethorico liberari potest per uterum, eo majores conflantur congestiones ad organa cetera haemorrhagiaeque ex iisdem. Parietibus autem infirmioribus impetuique sanguinis magis cedentibus, cum profusio sanguinis superveniat normalis, dolores molestiaeque aliae deminuantur aut simul cum fluxu incipiente aut saltem paullo post eum adparentem.

Nec tamen plethora universalis semper requiritur ad morbum nostrum procreandum. Namque nascitur etiam ex congestionibus ad genitalia majoris momenti praesentibus, quae variis irritamentis tempore menstruo, e. g. coitu contrahi possunt, quo casu menstruatio nimia dolorificam comitari solet.

Opportunitas ad statum plethoricum inest individuis robustis et succi plenis, quorum activitas productiva supra normam aucta. Scilicet viduae recentes, feminae novae nuptae, quae cet veneream aliquamdiu jam desiderant; item mulieres vitam hilarem et curae expertem degentes.

Causae occasionales omnes impulsus esse possunt, quibus proprium est, activitatem productivam massamque sanguinis amplificare, omnia denique congestiones ad uterum commoventia.

II. Status inflammatorius. Sed plethora etiam absente, menstruationem/dolorificam crebro in statu inflammatorio nisam esse animadvertimus. At gradus inflammationis aequae diversi sunt ac phaenomena. In inflammatione gradus altioris menstruatio prorsus suppressa, nec ulla locum habet dysmenorrhoea. Contra ea menstruat in lucem prodit phaenomenis simul cum vehementissimis, ubi inflammatio incipiens et, sicuti sese exprimere solent, irritatio vasorum affuerit. Hic vero status, quoniam spasmodicus cum inflammatorio conjungitur, promiscuus est. Affectionibus variis dysmenorrhoeam ibi videmus praeditam, ubi metritis vera sed decursu chronica interest, dysmenorrhoeaeque originem praebet.

Casu primo dolores oboriuntur vehementissimi in regione sacrali et lumbali, ad extremitates inferiores usque perducti. Sunt maximi, tendentes, torquentes et oblique per pelvim ruunt, non fixi sed passim circumvagi, tum remissiores tum aliquanto auctiores. Propensione individui ad inflammationem praesente majori, dolores fixi et urentes in regione uteri utique nascuntur; tubis ovarisque una affectis, ad latus pertinent per longitudoem inguinalium. Vesica vicina saepissime etiam corripitur; inde stranguria. Urina cum sensu dolorifico et urente emittitur, parca est atque rubida, non raro mucosa, interdum omnino oppressa. Per consensum hoc incommo-

dum plerumque ulterius per abdomen serpit, coclica emicat menstrualis, quibus phaenomena febrilia adjungi solent. Mammae etiam semper fere petuntur. Fluxus sanguinis raro quantitate justa profunditur. Quod cum acciderit, molestiae, intercedente jam fluxu sanguineo, nonnunquam desistunt. Saepius autem aut fluxus prorsus non peragitur aut menstruatio parca existit, affectionesque omnes magis magisque crescunt. Dolores non solum, durante menstruatione et post finitam perseverant, sed etiam affectiones aliae perniciosissimae evolvuntur. Gignuntur dolores capitis vehementissimi, syncope, affectiones apoplecticae, convulsiones universales etc.

Quoad metritidem chronicam, extra menstruationem manifestatur affectionibus notis et vulgatis. Qua imminente symptomata metritidis omnia majorem in modum augescunt, aliae accedunt. Mox, sicuti Richter (T. I. f. 667) proficitur, subveniunt mensium anomaliae; fiunt irregulares; dolorifici; consociantur cum affectionibus plurimis spasmodicis; aequo copiosius effunduntur, sanguisque emissus; aliqua ex parte saltem, nigricans; frustulisque intermixtus; menses denique evadunt lividi malumque solito fluor albus comitatur. Ambatutum specierum summum discrimen hoc est; quod in metritide chronica dolores, quamvis minores, perpetuo tamen permanent; ac tempore tantum menstruoem deprehenduntur majores, dum in prima specie interdum jam abeunt; simulac menstruatio sese ostenderit. Metritis chronica per menstruationem conjungitur cum affectionibus spasmodicis, quae autem phaenomena existunt magis consensualia in organo

cum vicinis tum remotioribus. Fluxus sanguinis in metritide chronica saepe numero degeneratur in nimium, fluxumque sanguinetum sequitur fluor albus, dum in altera menstruatio vel parca vel suppressa in conspectum venit. Intumescencia uteri, metritidi chronicae propria, nunquam id fastigium attingit in altera.

Non minoris etiam momenti est, ut modus inflammationis accurate respiciatur. Puchelt enim tempore recentiore animum nostrum advertit in speciem ejusdem singularem, quae inflammatio venosa vocata in ea potissimum parte systematis capillaris, quae ad systema venosum magis pertinet, sedem habet, proptereaque characterem huic correspondentem prae se ferre traditur.

Sed quemadmodum systema venosum in statu corporis integro minore vitalitate gaudet quam arteriosum, ita etiam in statu pathologico, et nominatim in inflammatione, signa eorum peculiaris multo minus perspicue indicata esse feruntur, adeo ut dolor ipse, qui signum inflammationis summum aestimatur, saepissime absit. Quae eadem inflammationis forma etiam uterum corripere dicitur, quamobrem maxime cauti esse debemus, ne morbum, si nobis occurrat sanandus, false dijudicemus. Menstruationem inde posse immutari ferique dolorificam, compertum est; quibus symptomatibus autem dignoscatur, de ea re experimenta postera nos edocebunt.

Causae statum inflammatorum producentes maxime multiplices. Inter momenta, quae morbi opportunitatem habent, haud omittendae erunt hoc loco periodi diversae, quarum prae ceteris periodus functionis sexualis sese evol-

ventis. Sicuti in periodo sic dicta dentitionis status inflammatorius in capite conflatur, ita nonnunquam accidere solet in periodo functionis evolvendae sexualis, nisi forte in purgatione intercedente menstrea exstinguatur. Periodus quaeque mensurationis per se aequae atque aetas, quae menstruatio manare desitura est, statum quemcunque inflammatorum eoque menstruationem dolorificam adjuvant. Ad quam proclivior est constitutio sana, valida et robusta, quam ob causam frequentior reperitur apud feminas rusticas quam urbanas; item individua sensibilia, irritabilia, sanguine abundantia, coeundi appetitu ardentiore praedita.

Causae occasionales omnia fiunt, quae vim irritantem in organismum totum exserunt atque praesertim in genitalia eaque ad activitatem adantam compellunt.

### III. Spasmus.

Statibus prioribus commemorandis etiam status spasmodicos huic malo associari jamjam ostendi. Hoc loco vero de eo potissimum casu loquor, ubi status magis sit mere spasmodicus. Qui plerumque, sensibilitate adaucta, cum totis organismi tum in genitalibus locali utitur fundamento. Quo utroque phaenomena hac forma praesentia originem trahunt.

Aliquot jam ante diebus apud nonnullas matrem praenuntiatum doloribus capitis pervehementibus, hemicrania et clavo. Quae phaenomena mihi videntur activitatis adauctae in organa pelvis conversae, per consensum elicita. Menstrua-

tionis ceu podromi vel propiores, vel comites vel sequelae dolores oboriuntur tendentes aut secantes, subsultim et ex intervallo recurrentes, iis, quos in partu mulieres perpetiuntur, haud absimiles, scilicet in utero, in regione sacrali ligamentorumque uteri latorum et ovariis. Interdum uterus multis cum doloribus ac sensu, quasi aliquid calidi per vaginam vi detrahatur, in pelvim, ut ita dicam, detruditur. In aliis fit contrarium; uterus enim ligamenti sursum trahi videtur.

Uterus saepe maxime sensibilis et modo extensus modo, vice mutata, spasmodice contractus. Spasmo latius diffuso aut affectione per consensum facta, nisus progignitur spasmodicus in vesicam et intestinum rectum, item colica. In hoc pariter casu ventriculus et caput inprimis afficiuntur, unde cardialgia cum suis phaenomenis et clayus. Neque organa pectoris magis restant immunia et intacta. Partim spasinis transeuntibus topicis, partim sine his convulsiones universales prorumpunt, affectiones vere hystericae, epilepticae et catalepticae. Creberrime has animi deliqua comitantur. Exploratione instituta, uterus nonnunquam reperitur inflatus, durus et persensibilis. Molestiae modo nominatae praesertim in periodo prodromorum menstruationis occurrunt, et simulac spasmus per se ipsum coeperit confici, symptomatibus remissis, adparet menstruatio. Quae dum est medio in fluxu, phaenomena desistere solent; attamen etiam post menstruationem fluere cessantem per aliquod tempus tenent, immo vero crescunt, quod rationi potissimum menstruationis quoad sanguinis quantitatem sine dubio tribuendum est. Plerumque menstruatio parca adest.

Hoc elucet ex eo, quod individuorum productivitas ex hac morbi forma laborantium saepenumero offenditur diminuta, quo scilicet casu sanguis parcius emissus salutaris iis ac necessarius est, interdum forsan etiam tensio spasmodica in vasis uterinis diutius perseverans ejus rei adiutorem sese praestat. Nonnunquam tamen vice versa menstruatio nimia existit. Quemadmodum status spasmodicus crebro conjungitur cum inflammatorio in genitalibus, ita contra ea cum sensibilitate adaucta saepius consociatur status inflammatorius, sensibilitas enim et irritabilitas nimis arcte invicem sese attingunt, quam ut non invicem sese provocent. Praeterea id praecipue respiciendum est, quod apud individua sensibilia, inter quae haec forma offenditur frequentissima, genitalium sensibilitas interdum mire augetur humorumque confluxus maxime amplificatus, quin etiam spasmus in genitalibus ipse, circulatione sanguinis impedita, multum contribuit ad complicationem hanc procreandam.

Phaenomena supra commemorata hujus formae diagnosis nobis exhibent, ad quam reddendam certiores rationes causales non minus accommodatae sunt, quibus adnumerari recte possunt:

Opportunitas. Malo nostro obnoxia sunt individua constitutionis tenerae et gracilis, instructa insuper musculorum fibris energia minori, colore cutis albo etc. Organisatio prout a parentibus ad infantes propagari potest, dysmenorrhoeam nonnunquam animadvertimus hereditariam; quod si ita est, morbum ante oculos habemus insauabilem. Individua porro ad hoc in-

commodum propensiora sunt, aut quae nimis mature in matrimonium ducebantur aut coelebia, denique quae scrophulis glandularum mesentericarum et vermibus intestinorum laborant.

Periodi genitalium evolvendorum maximum etiam valent in morbo hoc eliciendo.

Interdum haec nostri morbi forma sub periodo demum genitalium functionis retrogradientis intervenit, ac tum quidem harum partium mutationes organicae saepissime forsitan in causa sunt.

Causae occasionales in summa hae fere fiunt, quae organismum debilitent et, cum sensibilitatem ejus in universum, tum praesertim genitalium augeant; sed non minus et hae, quae vim quamcunque irritantem in systema nervorum exerant et in activitatem abnormem determinent.

#### IV. Vitia organica uteri.

Huc pertinet:

##### a) Rigiditas uteri.

Parenchyma uteri aequo firmiter et durius, aut cutis uteri interna solidior quam fas, vasorum fines vel minus laxi vel turgidi. Genitalia cetera si ad gradum perfectum exulta sunt gaudentque sensibilitate iusta, organismo vi productiva sufficiente praedito, sanguis periodo menstrua ad genitalia decurret. Qui affluxuro quoniam obveniunt obstacula, sensibilitatisque in genitalibus levamen ad tempus congruum et opportunum minime consequitur, idcirco in genitalibus sensibilitas congeratur irritatioque eo major in nervis progignatur necesse est. Quare praeter dolores in

genitalibus vehementissimos, qui partim magis indolis spasmodicae partim inflammatoriae sunt, convulsiones et spasmos exoriri deprehendimus tum locales tum universales, affectiones epilepticas, congestiones ad alias partes cum harum sequelis. Dolores per totam periodum perstant, menstruatio aut parca est aut suppressa. Verum solis ex his phaenomenis causam ipsam non perspiciemus. Propterea indicia alia complura in auxilium vocare debemus. Hoc vitium vertitur in utero non ad perfectionem rectam usque excul-  
to, quam ob rem hunc statum conspiciamus:

- e) saepius in periodo evolutionis, in menstruatione aut prima aut secunda; nam menstruatio non raro profluere incipit, priusquam uterus perfecte formatus sit; quod etiamsi non ita sese habeat, vasa interdum tamen solidiora sunt nec facile cedunt. Statu rigido autem postea longius in dies perducto, molestiae semper adparent.
- f) Apud virgines aetatis protractae uteri parenchyma facilius solidum fit et durescit. Periodus decrepitudinis non minus hac de causa crebro huic morbo originem dare solet.
- g) Fibrae totius corporis si rigidae sunt, uteri etiam ita plerumque comparatas esse recte colligere possumus.
- d) Mulieres sic dictae semimares, rigiditatis uteri magis expositae sunt, quia systema uterinum in iis gradum exultum non assequitur corpusque aliquanto firmitus est.
- e) Feminis ejusmodi gravescentibus, et graviditatem earum et partum multi dolores concomitari, partusque praecipue periodi secun-

dae longius durare solent. Quae mulieres facillime tum abortum patiuntur cum uterus satis extendi se non sinit.

- 5) Exploratione instituta interna cervix uteri invenitur non raro durissima.
- \*) Desunt causae aliae menstruationis dolorificae.
- 9) Ex jvantibus et nocentibus denique haec rerum conditio concluditur.

#### b) Scirrhus et cancer uteri.

Diagnosis scirrhi incipientis maxime ardua; sed ab ea cum sanatio potissimum pendeat, eo magis nostri est, suspicione aliqua suscepta, explorationem tam externam quam internam adire; ea sola enim diagnosis firmare possumus. Cujus signa constant inter omnes. Menstruatione progrediente in conditionem in dies deteriorem vertuntur. Fluxus menstruus sub initio scirrhi satis bene procedens cum doloribus tamen, in utero et pelvi adactis; dysphoriamque majori conjunctus est. Aegrotā sensum adactam praesertim ponderis cujusdam et quasi nisum ex partu in utero experitur.

Scirrhus in cancerem transgresso, dolores aurescunt diutiusque perseverant. Aut pungentes sunt aut urentes et punctioes vehementes per totam pelvim raptim demittunt. Ante menstruationis adventum existunt majores et plerumque sanguine profundi coepto, remittuntur. Menstruatio simul extra ordinem, tum nimia tum parca. — Uteri indurationes benignae et cicatrices menstruationem multo mitiorem reddunt. Agnoscendae sunt partim ex investigatione partim e causis antecedentibus.

#### c) Haemorrhoides uteri.

In lucem prodeunt in genitalibus aut post molimina conspicua ad intestinum rectum haemorrhoidalia, aut quum revera haemorrhoides effluere coeperint, postea vero suppressae in uterum decuctae fuerint. Interdum species ambae intersunt. Casibus hisce omnibus diagnosi sese praebet multo faciliorem. Nonnunquam etiam primitive se ostendunt in genitalibus ipsis; quod saepius quidem fit apud feminas partum jam pluries enisas et projectae aetatis, atq̄am etiam apud individua innupta et juvenilia. Sicuti in intestino recto ita et ibi aut fluentes sunt aut coeuae aut mucosae. Diagnosis partim elucet ex phaenomenis, partim ex exploratione. Inter illa numeranda sunt primo quae supra denotavimus, deinde opportunitas ad haemorrhoides, tum quod aegrotae conqueruntur de alvo pertinaciter adstricta. Intestinum rectum crebro protrusum nodisque haemorrhoidalibus consitum. Omnia, quae genitalia irritant, sensus dolorificos producant, praesertim coitus et menstruatio adveniens. Cui proximae prodromi haemorrhoidum praecedunt, scilicet dolores vehementes, tensioque in regione sacrali et lumbali, ustio, tormina, punctio, sensus quidam, quasi uteri pleni et tumidi, punctioes subitae per pelvim ruentes, interdum etiam sudores molesti haemorrhoidales in perineo, extra et intra labia pudendorum. Coniunguntur cum his modo symptomatico molestiae in systemate uropoetico. Si haemorrhoides effluunt, cum symptomatibus illis adactis et sensu in genitalibus, quasi calidi aliquid vi prorupturum sit, (quo tempore

uterus inferius simul in pelvim detrahitur,) menstruatio intervenit, quae plurimum est nimia. Etiam extra tempus menstruum saepius sanguis emittitur.

Haemorrhoides coecae cum molestiis iisdem consociatae sunt, tamen creberrime ad multo majorem gradum auferunt. Menstruationis conditio iis durantibus, tempore diverso diversa; aut prorsus non venit in conspectum, aut sanguis guttatim scatet ac tum quantitas ejus subsultim aliquanto major evacuatur.

In haemorrhoidibus mucosis praeter molestias his similes nihil nisi fluor albus copiosus menstruationis saepissime vices agit.

Exploratione facta interna, intumescitiae varicosae, non solum per cameram vaginae in utero sed etiam in cervice uteri, sentiuntur.

#### d) Infarctus uteri.

Hi vel in vasis uteri, vel cavo versantur, ibique formam embolorum aut e sanguine aut e mucos constantium, hic vero speciem concrementorum multimodi prae se ferre dicuntur; verum tamen emboli mucosi in vasis praesentiam aliquatenus addubitare ausim.

Infarctibus vasorum sanguineis uterus digito contractanti magis sese exhibet tanquam massam frigidam, portio vaginalis solito mollior, decurtata, temperatura non adaucta. Secundum Thilenium tempore menstruo regionem uteri reddunt inflatam, dolores in utero proferunt spasmodicos, tendentes et urgentes, necessitatemque frequentem mingendi; aut nihil sanguinis exit aut ma-

sae coagulatae, simulque etiam tum multum sanguinis tum parum effluit, qui nonnunquam existit tenuis et lividus foetidumque spargit odorem. Tum facillime exoriuntur ex ejus sententia, cum purgatio menstrua casu fortuito celeriter interpellata fuerit.

Infarctus mucosi molestias similes procreant, temperatura port. vagi et vaginae valde imminuta ac tempore periodi menstruae saepenumero humor quidam mucosus secretur.

Infarctibus cavitatis uteri phaenomena emittant iis quae in graviditate animadvertuntur simillima, menstruatio etiam suppressa, periodo autem qualibet revertente molestiae majoris momenti producuntur. Serius ocuis in utero contentum maximos inter dolores, iis qui in partu locum habent similes, subito perumpit, sanguis emittitur decolor, frustulis compactus aut mucos aut rebus aliis intermixtus, quo facto molestiae priores omnes evanescent. Plerumque spasmus cervicis uteri in causa est, Sanguis quominus effundatur cohibitus, coagulatur, pars ejus lymphatica absorbetur, formantur emboli, qui partim vi sua mechanica exitum obturant, partim ob irritationem quam concitant spasmum fovent. Secundum Jörg etiam gelatinae cujusdam exsudatio fieri traditur, quae menstruationem reprimat.

Infarctibus cavitatis uteri adjici potest membrana sic dicta Denmanica. Quae nominatio non satis justa, Plater (Lib. 1 f. 270) enim et scriptores etiam priores jamjam eam viderunt et Morgagni (Epist. 48 §. 12) accurate descripsit. Sicuti Lindner (de hydrometra 1822) hydrometram exoriri pro certo habet e conceptione imperfecta; hic sta-

tus eo magis etiam talis considerari possit, quoniam similitudinem aliquam habet cum hydrometra saccata. Menstruatione instante, quia uteri parietibus firmiter adhaeret, impedimento mechanico est sanguini efflenti, uterus eo admodum irritatur, sanguinis affluxus augetur, contractionesque in utero gignuntur cum doloribus vehementissimis, iis ex partu similibus, conjunctae. Quo fit ut membrana tandem solvatur et modo forma floccorum, modo sacci triangularis ejiciatur. Tum statim dolores levantur. Fluxus sanguinis deinde adparens plerumque est nimius. Opinio Dewees pro falso habenda, individua ab hac membrana fatigata esse sterilia, namque praeceptor meus vel maxime venerandus, e consiliis status Deutsch jam compluria ab eadem liberavit eaque ita in integrum restituit ut denuo concipere possent.

- e) Abitus sanguinis menstrui impeditus ob uterum, vaginam et labia vel concreta, vel membrana quadam occlusa.

Haec vitia organica plurimum quidem sunt innata, attamen et postea demum e variis harum partium morbis contrahi possunt. Sanguis quidem inter ea secernitur, extrinsecus vero emanare non potest, sed vel in vagina vel utero vel in utrisque accumulatur conditionemque variam ibi assumit. Uteri nonnunquam ambitus ad istum mirifice crescit, ut graviditatem suspicari possit, quo perducimur eo facilius, quoniam et mammae eo immutantur modo, quo etiam in graviditate

ipsa. Quo cum malo plerumque etiam extra tempus menstruum molestiae eximiae conjunctae sunt, rarius tantum omnino absunt sed vel minores vel majores locum habere solent. Dolores oboriuntur spasmodici, urgentes, iis ex partu similes, in genitalibus gravitas maxima et lassitudo in extremitatibus inferioribus, molestiae in mingendo et alvo ejicienda, item anxietas, vertigo, dolor capitis atque in summa valetudo infirma. Menstruatione intercedente, tumor et molestiae ceterae augescunt: accedunt colica menstrualis, affectiones in universum spasmodicae, angor maximus, vomitus, congestiones ad organa alia, vertigo, immo vero animi deliquia et affectiones aplecticae. Diebus aliquot praeterlapsis et tumor et phaenomena alia rursus decrescunt, periodo autem subsequente cum acerbitate eo majori redeunt. Exploratione instituenda hoc vitium facillime detegitur, nisi forte, (quod rarius usu evenire solet) orificium uteri externum apertum sit, collum autem crescendo coaluerit.

- f) Polypodes, Steatomata, Sarcomata.

Plerumque nullam omnino proferunt menstruationem dolorificam, sicuti Schmalz eam ex his esse profectam in opere de diagnosi prorsus neget. Quaeritur etiam, nonne hisce in casibus, ubi simul cum illis occurrebat, ex debilitate potissimum cum sensibilitate adaucta prodierit, quae aut secuta sanguinis jacturam et dolores, praecipue cum polypodibus conjunctos, aut a causis aliis praecedentibus vel externis vel internis eliciebatur.

## V. Dislocationes uteri.

Etiam in his multum abest, ut menstruatio dolorifica semper adsit. Quamvis enim neutiquam in animo est uegare, circuitu sanguinis cohibito, ab illis simul hanc posse procreari; attamen aut statibus inflammatoriis aut spasmodicis aut etiam aliis, qui dislocationes consecuti evolvantur, plurimum attribui debere censeo. Diagnosin ibi eadem quae dislocationum est.

Praeter status relatos sunt certe et alii nonnulli, quae causa menstruationis dolorificae fiunt, quorum tamen summos et primarios jam supra a me enumeratos esse existimo. His itaque modo me contineam.

### Prognosis.

#### Haec

a) ad causas sese accommodat, idque respicit num removeri hae possint. Attamen in universum tum existit melior, cum ex causis dynamicis originem trahat; interdum vero et tunc morbus vel difficillime vel omnino non sanatur.

b) ad acerbitatem phaenomenorum et periculum constitutionemque individui.

c) ad tempus quo dysmenorrhoea adparet. Nam si menstruatione prima intercedit, sua sponte saepissime tollitur. Hoc malum crebro cum per matrimonium tum per graviditatem susceptam sanatur, quanquam verum sit, individua hoc incommodo implicita et concipere difficillime et conceptione effecta, facile pati abortum. Dysmenorrhoea interveniente sub periodum decrepi-

ditatis, saepe numero status inflammatorius aut scirrhus in causa est; e quibus tum prognosin praescenda.

d) Ad rationem quantitatis et qualitatis sanguinis emissi. Prognosis eo pejor, quo menstruatio magis discrepat in his a norma sua solita.

### C u r a.

Dividitur: a) in curam morbi ipsius. Quae fit periodo durante prodromorum et menstruatione praesente.

b) in causas menstruationis dolorificae removendas. Quarum cura intervallo periodorum durarum menstruarum plerumque interponitur, ac nonnullis tantum casibus tempore menstruo ipso peragenda.

Curatio morbi ipsius finem habet dolores et molestias ceteras aut avertenda aut saltem mitiganda. Curam vero, prout vel e systemate vasorum vel nervorum nascatur, nobis subeundam esse diversam luculenter perspicias. Pariter etiam momenti causalis in morbo curando maxima habenda est ratio, quoniam casibus singulis copia nobis datur id ipsum simul removendi, quo facto rectissime finem optatum assequi possumus. Ibi nimirum cura symptomata congruit cum cura radicali.

Curacionem pro statibus diversis nunc percurram. Primo tractandum de ea forma, cui status aut plethoricus aut inflammatorius fundamento est. Quem statum utrumque complector in uno propterea, quod in curacione alter cum altero nimis conveniat, quam ut inter singulas

discrimen facerem. Methodus ibi in universum indicata est debilitatis, cujus tamen gradus modificandus. Si morbus cadit in individua plethorica et robusta, febrisque interest vasorum conspicua, colica menstrualis eximia, metritis incipiens vel Oophoritis, si porro menstruatio aut nulla procedit aut modo parca, ibi pro tempore et habitu missiones sanguinis tum universales ex pedibus tum locales, haeque praesertim hirudinum ope applicandae, quae hirudines maximam utilitatem afferre solent ibique etiam inprimis idoneae sunt, quae adhibeantur, ubi affectiones mitiores existunt.

In usum interdum pro habitu diverso propinamus: Sales antiphlogisticos, nitrum, magnesian et kali sulphuricum, Tart. tartaris, depuratum, modo solum et magis qua remedium antiphlogisticum, modo obstructione praesente, seu remedium laxans, cui libenter pulpam tamarindorum aut mannam addimus. Porro acida vegetabilia, quorum praecipue acidum tartaricum vel citricum. Sales praebemus plerumque una cum oleosis, mucilaginosi aut emulsionibus, aut has etiam solas, quoniam ob vim suam relaxantem imminuunt irritationem inflammatoriam, dolentemque et spasmos in organis uropoëticis, genitalibus etc. leniunt.

Ad remedia externe adhibenda pertinent balnea tepida et tota et dimidia, cataplasmata calida et sicca aut humida, v. c. mollientia ex ol. chamom. coct. et ol. hyosc. aa confecta et tepida admota, item ex herba cicutae et hyosc., postea infractiones unguenti antispast. Sellii, ex ung. hyosc. et opio; deinde clysmata, eaque pro habitu di-

verso modo refrigerantia et evacuantia, modo irritationem mitigantia ex mucilaginosi simul cum oleo Lini, ol. olivarum et similibus parata, denique injectiones ex oleosis et mucilaginosi, cicutae, hyosc. etc. eo potissimum casu, quo cervix uteri maxime affecta est.

Quamdiu status inflammatorius admodum praevallet, tamdiu diaeta et regimen iis, quae modo diximus, adaequentur necessè est. Aptè igitur alimenta vegetabilia, mucosa et facile concoquenda; pro potu aliquid acidi. Irritantia insuper omnia ab aegrotis prohibeantur, tegumenta quoque frigidiuscula sint oportet.

Statu vero inflammatorio maxima ex parte amoto, cum tantum magis spasmodicus quidam intersit, interne applicamus praeter supra nominata, remedia oleosa et mucilaginosi, extract. hyosc. remedia acidum borussicum continentia, digitalem et cum praecautione certa etiam adeo opium. Cum refrigeratio causa fuerit, propinamus diaphoretica mitiora, flor. chamom., sambuci, antimonialia, spiritum Mindereri, pulv. Doveri. Mutamus eodem tempore methodum refrigerantem, diaetamque magis diaphoreticam et regimen aequale adhibemus.

Si spasmus et sensibilitas adhaerens causa est dysmenorrhoeae, phaenomenorum acerbis et periculum naturae causarum occasionalium in remediis eligendis et gradu applicationis nos determinare debent. Praeterea systematis vasorum status apprime respiciendus est, ne ipsi activitate majore forsitan praedito, per opium et remedia huic similia plus damni quam emolumenti afferamus. Inter remedia, systema vaso-

rum nequaquam aut aliquatenus tantum excitantia, praeter emulsiones, oleosa et mucilaginosa, enumeranda sunt remedia acidum borussicum continentia, extract. hyosc. secundum Hufeland grj per horam et usu gradatim crescente adhibitum, digitalis, ipecacoanha in r. d. Ex acidis mineralibus elixir. acid. Hall. praesertim contra congestiones ad alias corporis partes.

In remediis irritantibus sunt flores chamomilli, kali sulphuricum in connubio cum extracto chamomilli, radix valer, spiritus nitri dulcis, liquor anodynus min. Hoffm., castoreum, aut in substantia aut forma tincturae.

Asa foetida, liquor C. C. S. aut sola aut cum opio conjuncta, pul. Dov., opium, moschus.

Methodi agendi singulae sequuntur, quarum prima Thilenium habet auctorem. Is tincturam stramon. et potum e millefol. concoctum sumi jubebat.

Jördens mixtionem ex extr. Gard. bened. Valer. Tart. solub., sapon Hispan., et laudan. I. S.

Formey iis quae in periodo quaque menstrua cephalalgia vehementissimis laborabant infusum favearum crudarum coffearum bibendum praebat.

Fothergill doloris vestigiis ut primum adparentibus 1 gr. extr. opii adhibebat quavis hora iteratum, praeterea regimen diaphoreticum praecipiebat. Cullen idem.

Ring primis doloribus decem granis camphorae occurrebat.

Dürr, urbe Hall. degens dies quatuor ante fluxum et quousque emanare inceperit, horis quibusque ternis pulverem e Magist. Bismuth: grjj,

pulv. Castor. ꝑß, flor. chamom. vulg. grvj, rad. valer. grjj, Colomelit g ß et Elaeosach. anisi compositum administrabat, potumque una sorberi jubebat e rad. Valer., rad. liquir., herb. melissae et menth: crisp. aa concoctum, quo ut etiam durante menstruatione uterentur aegrotis praescribebat.

Ex praecedentibus animadvertere itaque possumus, quomodo medici complures jam in praeviis vel primo morbi initio remedia propinarent. Quorum virorum, qui methodi adhibitae faustissimum eventum experti sunt, experientia etsi parum respecta, tamen a priori concludi potest, rem ita utique sese habere. Quod vero compellere eo magis nos debet, ut eandem in morbo hoc curando insistamus viam, quia saepissime facultas nobis data erit has methodos applicandi.

Si refrigeratio una in causa est, praebemus partim remedia ejusmodi, quae, uti opium, transpirationem adjuvent, partim his adjicimus diaphoretica. Fluxu menstruo profundi coepto et nimis copioso, quum aegrotae vires simul exhaustae sint, methodus nobis adeunda est contra menstruationem nimiam indicata.

Ad remedia externa et hic pertinent praeter ceteris balnea tepida, infecta etiam herbis antispasmodicis, vaporaria et pediluvia; Cataplasmata super regione hypogastrica, parata e speciebus emollientibus, flor. cham., herb. menth., herb. Hyosc.; panni lanei tenuiores calefacti, infrictiones oleorum pinguium, unguentorum opiatorum, ol. Hyosc. et opii, unguent: Chaussierii ex extract. belladonnae confecti, infrictiones irritantes volatiles; fricatio lenis sola manu calefacta, pannis

laneis; Clysmata ex infus. Cham., valer. cum oleosis, mucilaginosi praecipue cum asa foetida vel opio conjuncta. Alvo adstricta, antea clysmata laxans admovendum, v. c. ex ol. Ricini; injectiones in vaginam e cham., valer., hyosc.; genitalium suffitiones, secundum Hufeland ope mastichis, graduque vehementiore huic narcotici aliquid immiscetur e. g. hyosc.; derivationes eaeque praesertim ad mammas.

**Diaeta et regimen.** Alimenta sint facile concoquenda, attamen animalia et nutrientiora, potio mucosa. Regimen magis diaphoreticum sit oportet, quocirca melius erit, si aegrotans in lecto remaneat.

In rigiditate uteri commemoranda jam supra vidimus, phaenomena tum magis affectionum systematis vasorum tum nervorum indicia prae se ferre, plerumque tamen systema utrumque eodem tempore affectum. Quamobrem et modum curandi saepe duplicem esse oportebit. Primo ac praecipue ubi fluxus menstruus aut prorsus non procedit aut parcissimus est, phaenomena periculosa per sanguinis missionem, hirudines et methodum ceteram antiphlogisticam avertere studemus, tum remedia acidum borussicum continentia aut his similia applicamus, ut impetum systematis nervorum oppugnemus. E remediis extrinsecus adhibendis tunc balneis tepentibus, inprimis saponariis utimur.

Et in scirrhus non minus hirudines saepenumero admovere, nitrumque et similia praebere debemus, eaque minus ob dysmenorrhoeam una praesentem, quam ut inclinationem ad scirrhum adaugendum cum congestionibus ad uterum

in universum conjunctam coerceamus scirrhumque cohibeamus quominus in cancerem transeat. Contra dolores ipsos applicamus opium, belladonnam, hyosciamum, praecipue aquam laurocerasi, lepidium ruderale; externae injectiones e remediis similibus praeparatas.

Dysmenorrhoeam uteri haemorrhoides secutam removemus per methodum antiphlogisticam et gradui incommodi et constitutioni individui accommodatam, in qua quidem hoc ante omnia spectandum, num haemorrhoides fluant aut caecae existant; quoniam, praeterquam quod in caecis affectiones locales crebro majorem adipiscantur acerbiteriam, fluxus sanguinis menstruus normalis interdum omnino deficiens, quam maxime fieri potest auxilio artis compensetur necesse est, dum in haemorrhoidibus fluentibus menstruatio nimis ipsa, cum his conjungi solita multum contribuit ad affectiones mitigandas. In universum autem in doloribus, qui ex haemorrhoidibus profecti fuerint, eundem agendi modum observamus, quam qui ex intestino recto originem duxerint; ibique igitur non minus respicimus venositatem in abdomine morbose adauctam.

Dysmenorrhoeam secutam infarctus uteri optime curabimus ejusmodi remediis, quae activitatem vasorum uteri concitantia uterumque ad contrahendum sese cogentia, massam coagulatam abducant, fluxumque normalem restituant. Quod fit potissimum pellentibus adhibendis, isque est casus quo usus eorum eximiam affert utilitatem, dum in casibus supra relatis plus damni quam emolumenti plerumque efficiunt, quatenus creberrime empirice administrabantur, quia mor-

bi productum, scilicet menstruationem aut parcam aut suppressam tantummodo medici respiciant, ideoque, morbo ipso neglecto, remedia pellentia adhibenda esse putabant. Verum tamen etiam in casu nostro pellentibus uti debemus maxima cum praecautione, eaque libenter cum remediis antispasmodicis et relaxantibus conjungimus.

Thilenius in vasorum infarctibus sanguineis inprimis commendat elixir aperitiv. Claud. cum aqua laurocerasi conjunctum, item sabinam, quam Kopp (Sundelius 1, p. 397) boraci immiscere solet. Tandem balnea tepentia, iisque durantibus frictiones in regione uteri spongia peractas. Sin vero sanguis tum profunditur nimis, haec remedia intermittenda sunt menstruatione opprimenda nimia.

Infarctus mucosi secundum Thilenium resolvuntur praesertim usu pilularum constantium e gummi ammoniac, sapone, extr. aloes, et balneis aut artificialibus aut naturalibus salinis et sulphuricis.

In uteri cavitatis infarctibus etiam emmenagoga adhibemus.

Contra atresiam uteri et vaginae pro habitu et tempore adhibemus methodum vel anthiphlogisticam vel mitigantem, impedimentumque mechanicum levamus artis convenienter legibus chirurgicae.

Cum polypodes, dislocationes uteri etc. causa fuerint dysmenorrhoeae, phaenomena praesentia in curando duces sequi debemus.

### Cura causalis.

Si dysmenorrhoeam radicitus velimus sublata, curam hucusque magis palliativam tandem radicalis subsequatur. Quam autem aequae diversam esse oportet atque causae quae pariunt dysmenorrhoeam. Quam vero cum nimis longum sit fusius exponere, silentio hoc opusculo transeam.

---

### Index scriptorum in dissertatione hac conficienda a me adhibitorum.

---

- Roderici a Castro. De universa muliebrum morborum Medicina. Hamburgi 1662.
- v. Swieten. Commentaria in Boerhave Aphorismos.
- Felices Plateri. Observationes Libri III. Basiliae 1641.
- J. Astrucq. Abhandlung von den Frauenzimmerkrankheiten.
- M. Tissot. Avis au peuple sur la santé.
- Mörgagni de Sedibus et Causis morborum.
- R. Whytt's sämtliche zur praetischen Arzneikunst gehörige Schriften.

- W. Cullen. Anfangsgründe der practischen Arzneiwissenschaft.
- Histoire naturelle de la femme par J. L. Moreau.
- G. A. Richter. Specielle Therapie und dessen chirurgische Bibliothek.
- Sammlungen auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte.
- Carus Lehrbuch der Gynäkologie.
- Jörg Handbuch der Krankheiten des Weibes.
- E. v. Siebold. Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Fraueuzimmerkrankheiten.
- Schmalz, Versuch einer Diagnostic.
- F. B. Oslander. Ueber die Entwicklungskranheiten in den Blütenjahren des weiblichen Geschlechts. Götting 1817.
- Horn. Archiv für die practische Medicin. Berlin 1817.
- Meisner. Was hat das 19te Jahrhundert für die Erkenntniß u. Heilung der Frauenzimmerkrankheiten gethan.
- H. D. Effler. Dissertatio inauguralis de menstruatione vitiosa. Göttingae 1800.
- M. Steinthal. Dissert. de menstruorum tam normali quam abnormi decursu Berol. 1821.
- Journal für Geburtshülfe und Frauenzimmerkrankheiten von E. v. Siebold. Theil, 5.
- Hufeland Journal der practischen Heilkunde 5. 9., 12., 28., 45., 51., 52., 53., u. 56., Band.
- Sundelin Arzneimittellehre.
- Puchelt. Das Venensystem in seinen krankhaften Verhältnissen.
-